


Biblioteka Jagiellońska
stdr0007433

1,
2, Epitaphia Cphi. Merzinii a Kurozwoki.
3, Dresser, Chrph. Radzivil.
4, Burfius, Oratio funebris.
5, Jacobellus, Feralis pompa in funere A. Corvini.
6, Siemek, Andr. Lipe Lipski.
7, Jacobellus, idem q. no. 5.
8, Ch. de Chalecz Chalecky
9, Comenius, Spiegel Gutter Obrigkeit.

ILLVSTRISSIMO ET REVE-
rendissimo Domino,

D. ANDREÆ à LIPE LIPSKI,

Dei G. Episcopo Cracouiensi, Duci Seueriensi, &c.

Felicem in Episcopatum Cracouiensem ingressum,

GRATVLATVR

CASPARVS SIEMEK.

M. Joannis Cynerski Rastawiensis Coll. Min. ordin. eloq. p. A. D. 1635



CRACOVIÆ,
In Officina Typogr. Matthiæ Andreouiensis,
Anno M. DC. XXXI.



Heu fuge zyzanium veniunt iam tempora messis,
Diuidet hoc Rastrum, fiet arista nitens.



Credo ego frequentes viros vndiq; ornatissimos, eandem mecum rem tractaturos, tibiq; veterem quidem dignitatem, nouam autem amplitudinem, gratulaturos Illustriss: & Reuerendiss: Domine. Credo & certò scio, nam & autoritas, & existimatio tua tanta est, quanta omnium expectationi, satisfaciet, & superabit etiam omnium spem atq; expectationem, cui se commendare nemo non studebit. Non tantum enim Sympathia res rebus coniungit, quantũ viri integritate & virtutibus ornatissimi, allicimur claritate honestateq; ad se amandum; Summum quisq; talis, incitat in nobis sui desiderium: atq; in admirationem rapimur, cum virum tempore hoc, quo, virtus & sapientia, profligatæ & proscriptæ exulant conspicimus: virum inquam talem, quo cum summi illi viri antiqui, eruditione & probitate, contenderent. Aut ingrati aut inuidi fuisset, gloriæ, & genti, & sæculo nostro, non ire obuiam eamq; dignis non excipere gratulationibus: non credo quemquam adeò in officiosum

 posse

posse reperiri, qui laborem hunc honestissimum postponere velit, præsertim hac in prouincia virorum literatorum, quæ illis est refertissima. Nam & nobilitas in ea, non inerudita, cuius domos libraria supellectile exornatas, egregiè reperies, & Academia mater omnium literarum ibidem habetur, quæ olim viris, omnibus facultatibus cum primis florentissimis erat gloriosissima, nec modo ignobilis iacet, retinet adhuc pristinæ gloriæ faciem, retinet existimationem, retinet autoritatem, atq; expectationi omnium satisfacere potest, & est parata: Sunt ibi viri plurimi in diuersis facultatibus exercitatissimi hi omnes Te expectant, Te desiderant, Te inuocant, Te Protectorem amantiùs, quam Cancellarium salutabunt: Hoc enim demum tempore magis Protectore opus habebunt: hos cum gratulationibus tibi obuios habebis, tam è nobilitate, quam è Scholasticis viros frequentissimos. Et quidem in tanta virorum doctorum copia supersedendum mihi arbitrabar, cuius si generis antiquitatem spectes, non postremum iudicares, si eruditionem, quin me homuncionem appelles, parum abest, neque enim

enim sum cum viris literatissimis comparandus, quorum officij est summorum virorum exornare laudes, conseruare gloriam, incitare in reliquis virtutem: magnam sese rem quisq; effecisse existimet, qui alienam satis laudauit virtutem. Enimueró si simulachra, imaginesq; affabrè factæ publicis sumptibus viris clarissimis erigi solebant & solent, quarum intuitu posteritas cõmoueretur: multò conuenientius scriptis publicis iidem sunt ornandi, nam hæc ad plurimorum oculos sunt peruentura. Lineamenta corporis in simulacris, tãtum exprimi possunt, at scriptis præter ista, animi etiam dotes, quantumuis maximæ ad vnguẽ depinguntur: plurima simulachra, improbissimorum hominum fuisse comperimus, tyrannorum etiam quorundam, ea enim à fabris seu huius generis artificibus efformari solent, scripta tantum à viris doctis, quorum dignoscere probitatem ab improbitate, dignum ab indigno secernere non adulari maximum est officium. Hoc attribuo cæteris, mihi idem non arrogo, qui nec ingenio par, nec exercitatione dicendi illis sum comparandus. Qua de causa duas leges, easque necessarias mihi

 impo-

imposueram, nimirum; neq; ad Rempublicam (vt dicitur) illotis manibus accedere, id enī ad sanctitatem Maiestatis Reipub. pertinere videtur, ne eam cuiuis nisi bene præparato, atq; instructissimo animo attingere liceat, vel ne illud quod sacrosanctum est indignis funestetur manibus: neq; quidpiam in publicum edere, nisi perfectum ingenio, elaboratum industria iudicari possit: hoc tamen extorsit à me opportunitas occasionis, extorsit feruor studij erga dignitatem tuam incredibilem, vt legum mihi impositarum alteram seruarē, infringerē alteram. Et vero difficilis est ista materia & quodā modo mihi, itaq; timeo impar ne volendo tāti viri augere honorē, ipsum imminuā, cū laudari à viro laudato sit in precio: tamen audaciā esse dimidiū victoriæ, & multo plures in fuga, quam in prælio cecidisse pro comperto habeo. Ita sane qui non cōtendit nō vincit. Et quātumuis amplitudo tuæ dignitatis, sapiētiæ magnitudo, & iudicij sui sagacitas me prosternant: beneuolentia tamen & humanitas tua me erigunt, atq; ad progrediendum cohortantur; etsi reputē nullum tuo satisfacturum iudicio, quod omniū

longè

longè superauit eloquentiam atq; ingenia: immò cessare nos omnes ab hoc opere oporteret, si tuam eruditionem, si prudentiam ponderauerimus, quia plus habes virtutum quam nos eloqui possumus. Quod cum vniuersæ Europæ planum sit, idq; confiteri quàm plurimos, auribus meis percepissem eò magis erigor, & silere nullo modo possum, supplebit enim humanitas tua, quos balbuties mea, afferet defectus, supplebis inquam Illustriss: & Reuerendiss: Præsul. nam vbi multum prudentiæ, ibi plurimum humanitatis, artes enim non ipsæ sunt humanæ, sed quia humanos efficiunt, humaniores ideo appellantur. Et quò quiuis artibus instructior, clarior, eruditiorue extiterit, ille idem moribus suauior, in conuersatione gratiosior, ad beneuolentiam facilior, promptiorq; esse solet: arrogantia male exculti animi est vitium, si quid laudis, si quid gloriæ, meremur, id ab hominibus nobis attribui debet. Nemo igitur eruditus, qui absque humanitate fuerit: Neque enim magnum sui desiderium, summi viri mortalibus inussissent, si morositatis quidpiam eruditio admitteret. Solon quidem qui

vnus

vnus ſeptem ſapientum, & ex iiſdem ſeptem ſolus ſcriptor legum fuerat, humanitate ſua effecerat, vt vltrò Athenienſes leges ſuas recepiſſent, ſeque cum ſuis fortunis, ſibi concrediſiſſent. Et quod Licurgus vi, amicorumque potentia perfeciſſe creditur, id Solon humanitate, quam à bonis artibus hauſerat effeciſſe dicitur. Et Socratis ſuauitatem tyranni, & Pythagoræ admirabilem comitatē adamauerunt Romani: mirificos enim non modo ipſa ſapientia, ſed ſapientes etiam, in nobis incitant amores, propter gratiſſimas omnibus virtutes. Vnum commemorabo, quem tot tantique venerantur viri diſertiſſimi, oratores & Philoſophi, eum inquam, qui cum omnes in ſe haberet virtutes, præter nomen nihil barbari habebat. Quod ſi ita eſt? eſt autem certè, quod viri eruditione clariſſimi, haud quaquam contemnant, ſe etiam inferiores, quid obſtat, quin me poripiam, ad hoc te rudi calamo excipiendum? Non facile aliena contemnit, qui ſuorum bonus eſt autor. Neq; enim hunc impendo laborem vt gratiam referam tuam, alieno enim ſum inſtituto quâm clementiâ tua mihi prodeſſe poſſit: Neque expecto

expecto vtilitatem, nihil enim mihi deeſt ad vitam conuenienter & honeſtè ducendam, neque etiam volo, vt quod à mē rectè geritur, illud à mercede euacuetur: Sed vt Dei prouidentiæ, agam gratias, & te Præſulem optatiſſimum, deſiratiſſimumq;, quem nobis dari perquam optabamus, honorificentiſſime excipiam, id cordi, id animo, id in votis, id in deſiderio fuit, eſt, eritque ſemper. Itaq; à Te Illuſtriſſ: & Reuerendiſſ: Domine præparato, artibus exculto, & omni virtutum genere exornato, nihil pertimeſcendum mihi videtur. quamuis enim mihi deſit plurimum, tuæ tamen humanitati deeſt nihil, ego rudis ſum, Tu excultiſſimus, ſupplebis itaq; tua benignitate meam craſſionem Mineruam, humanitate, meam auſteritatem & raucedinem, Tua grauitate meam pueritiam, in te igitur & in Tua prudentia, omnis ſpes mea, expectatio mea, conatus meus conquieſcet. Eſt tamen quod me adhuc angit & conturbat, temporibus his peruerſis, quibus virtus præ inuidia in abditiſſima penetralia ſeſe occultauit, oculiſq; maleuolorum ſubtraxit, quod ſine aſſentationis ſuſpitione, nemo vnquam præſentem lau-

tem laudauit: nam vt absentes, absq; opinione detractionis vituperare non possumus, ita præsentes propter suspitionem assentationis laudare non solemus. Nemo vnquam probè laudauit præsentem, absentem nemo verè vituperauit. Erat hoc verum olim, erat; cum virtus, cum amor patriæ, erant cordi mortalibus: nunc degenerârunt vniuersa. Quotus est qui reprehensionem non meretur? Bonum aliquem virum hoc tempore nominare vix credibile est; Et verò quia neminem, ideò & pessimum, vix vituperare licet, satis enim malos vituperauit vita improbissima, nihil proinde illis calamitatis addendum: virum studiosum laudare, lex naturæ quodammodo esse videtur, quanquam leges sequuntur necessitatem temporum, præter eas quæ iura naturalia vocantur, hæc nunquam prohibita, semper licita sunt. Et quod alij nequissime legunt, parendum tempori, parcendum, legi debere, existimo, mali enim parent tempori, parcunt sapientes, quod vitium forte, ex similitudine vocabulorum à scriptoribus imperitis irrepsit. Parco itaq; ijs qui primi, id fecerunt non abs re tamen, quia boni, laude in rabiem

rabiem non aguntur, ad virtutem magis impelluntur gloria. Fecit hoc Cic: pro Q. Ligario. fecit pro rege Deiotaro, præsentem laudauit Cæsarem, vel vt bonam ipsius voluntatem, de dictatura deponenda acceleraret, vel vt clementiam in victoria domestica necessariam augeret. Fecit & M. Cato homo ab omni assentatione remotissimus, qui Cn: & Sex: Magni Pompeij filios laudauit, vt eos ad experiendam fortunam in magna publica calamitate commoueret inflammaretq; fecerunt & alij complures, cum cæteri tum nostrates. Vidi ego in quadam priuata biblioteca, prout ferebant illa tempora, non ineruditam orationem, qua Sbigneus Olesnicius, recenter Cardinalis factus, excipiebatur; vidi, summamq; voluptatem cepi, vt par erat, vita & moribus, quasi per lineamenta, viri integerrimi, ne dicam sanctissimi perspectis & delineatis, quæ res illi viuo non obfuit, nobis posteritati plurimum prodest. Karnkouij Episcopi simile encomium circumfertur, viri reipublicæ & libertatis amantissimi quod in hoc ordine rarum est. Te igitur Illustris: & Reuerendiss: Præsul viuum non laudabimus? cum

 cras,

cras, incerto: post mortem certo id non simus facturi: Et cum tua virtute, tua prudentia, tua industria, tuo iudicio, animi dotibus, perspicacia, facilitate opus habeamus: tu, à nobis nullam referes gratitudinem? Quæ peruersitas? quæ impudentia? quæ impietas fuisset? quid aliud designat, illa consuetudo in coronationibus Pontificum, quod eo die officium de Pontifice peragi soleat, si non laudes noui Pontificis: Cæterorum optimi, neq; enim vt sanctus colitur, sed laudatur vt bonus, Quem itaque permouit tua gloria, erudiuit labor tuus, quin tibi referam gratias me cohibere non potui, neq; eas pares tuæ virtuti, sed mei ingenij viribus accomodatas. Ad te igitur rem meam dirigam, tibi gratulabor, tu excipes omnia gratiosè, amanter. Mihi potiùs non tibi Illustrissime & Reuerendissime Domine gratulandum esset, mihi dico, qui summa perfruar felicitate; te Pastore, te Præsule, te Episcopo meo ac Diœcesis Vniuersæ; mihi dico, quia propter curam mei, insomnes noctes, laboriosos dies, traducere cogeris: felix igitur ego sum, te Pastore meo existente magna obtigit ista mihi feli-

citas,

citas, quia Pastor sis mihi datus, qui tua virtute cum opus habuissem, illamq; desiderauissem, tamen illam implorare non audebam: nunc, vltrò mihi eam offerre teneris: immo verò non opitulando mihi, magna fuisset impietas. Tuo itaque Pastoratu factus sum prosper, felix, beatus, mihi igitur esset gratulandum, vel vniuersæ Diœcesi, quæ, si ponderat suam dignitatem, quid ei hac re obtigerit, certe vehementissime, ipsam lætari necesse esset, Felices nauigantes, si Nauclerus eius artis peritissimus, felix respublica si Princeps prudentissimus, cuius in prudentia, salus consistit publica, qui, si bonus est mala maiora lenit, minora penitus auertit, & in meliorem commutat fortunam, vt qui non intelligat, pastorem bonum habere, quo loco fuerit? sit nemo: ingens igitur est felicitas vniuersorum, te habere Episcopum, te, nostrum esse, & custodem & iudicem: magna est populi inde lætitia, maior totius Diœcesis, maxima reipub. ingens omnium. Quod si tua ista fuisset felicitas: cur vniuersa prorsus respublica exultaret, te salutaret, te summa cum hilaritate exciperet, nemo nisi suo commodo gaudere

solet,

ſolet, ſatis eſt ſi alienæ non inuidet virtuti. Atque manifeſtum eſt, tibi acceſiſſe plurimum laboris, curæ, ſollicitudinis, vigiliarum, incommoditatum: Tuę verò Diœceſi ſecuritatis, iuſtitiæ, illi igitur potiùs gratulandum eſt, quod de te ſpem, eamque certam, non fallacem, aliquam conceperit, magnæ tecum venturæ ſibi felicitatis Olim Rex noſter Stephanus. Cum indices nec incerti nec obſcuri retuliſſent, ſibi delatam eſſe Regni Polonię Coronam, Cyrillus autem Chrząſtouius, cum Andrea Patruo meo, eidem, tantam gratularentur dignitatem, ſapientiſsimè reſpondit. Veſtrę inquit Reipublicæ eſt gratulandum. nam ſi ignauus vixero, mihi perpetuam, infamiam, ſi vt decet Principem res adminiſtrauero, nullam mihi, immortalem reipublicæ peperero gloriam. Et verò ita eſt. Princeps enim ignauus, ſibi infamiam, magnanimus reipublicæ parit gloriam. Et Pelopidas Thebanus ad bellum Peloponeſiacum proficiſcens, vxori hortanti, vt ſaluti ſuæ conſuleret, indignabundus dixiſſe fertur. Priuati inquit ô mulier de eo monendi ſunt, nam Principibus cõuenit, non vt ſeſe ſed ſuos vt incolumes ſeruent,

acredu-

ac reducant, ne amiſsis ciuibus ſoli aut fortunæ ad ludibrium aut hoſtibus ad triumphum reſeruentur. Graues igitur ſunt magiſtratus omnes, graues dignitates, ſed omnium Epiſcopalis grauiſſima quæ non generatim, tantum, & vniuerſe ſed ſigillatim de vno quoq; noſtrum curam indicit, iniungit, præcipit: me igitur & vniuerſos cõmodum tangit, ob hanc tibi oblatam dignitatem. Nõ tamen à Te quoque gratulatio debet eſſe aliena, quia pugnaueris, viceris, coronam acceperis, habere enim coronam, nihil affert laudis, nihil gloriæ, at habere ipſam ex victoria reportatã, res magni eſt momenti: qui ſine virtute accepiſſet quamuis dignitatem, ſine honore is, ſine gloria, idem enim eſt ac ſi à mercatore coronam ſibi comparauiſſet, quæ minime corona dici debet. Quia igitur eam virtute non fortuna es conſecutus, viciſti, gratulandum igitur tibi eſt, nihil enim præter victoriam gratulationem meretur. At verò quamobrem? qua de cauſa tibi gratulandum venit, Quid hac victoria conſecutus ſis? pacem ne? quietem ne? felicitatem ne, quam piam, quę tuæ correſponderet dignitati? nihil horum; Quo-

modo

modo eam dignitatem felicitatem appellabo? cũ magna dignitas magna ſit ſeruitus, faſtigium ſummum, à ſummo faſtidio, parum differunt, quod & vocum ipſa ſimilitudo, & rerum ipſa docuit experientia. Non Te latet (es enim omniũ rerum penu refertiſsimum) Sbigneum Oleſnicium, cum hac dignitate, multum laboris, plus odiorum, plurimum periculi ſubijſſe: nouiſti, quid reipublicæ deberet, quid faceret, quid pro illa auderet, nouiſti fuiſſe alterum Staniſlaum ſi Boleslaus fuiſſet. Nouiſti quantum cum hac dignitate Thomæ Cantuarienſi Epiſcopo oneris acceſsiſet, quem, ob ſimilitudinem vitæ & mortis eadem cum S. Staniſlao oratione, Eccleſia adornauit: non eo hoc dico, quod te ea ignorare exiſtimem, ſed ne tu iſta, me ignorare exiſtimes. Quamobrem vereor, ne tibi tum gratuler, cum libertatem & vt velis poteſtatem viuendi amiſiſſes: exhorreſco, ne tibi faſtidium pro faſtigio gratuler, nam ſi faſtidium pro virtute, ſi ſeruitutem pro libertate retuleris, condolendum potiùs, non gratulandum Tibi eſt, nihil enim tibi reliqui feciſti, omnia Reipublicæ, Diœceſi, nobis promiſiſti.

ſiſti: quid promiſiſti? dediſti extrádiſti; quidquid opum ac facultatum habuiſti, id totum, publica commotus neceſsitate in medium contuliſti, obtuliſti, publicauiſti, vitam & quidquid haberes, vel habere poſſes te libenter iſta omnia patriæ donaturum profeſſus es, & iam feciſti. Atq; inprimis quam primum Senator factus es vitam tuam publicam vt debebas feciſti, non igitur ea tanquam priuata ſed tanquam publica vſus es, eam non tuis ſed publicis accommodaſti negotijs, quod periculum, quæ difficultas cauſæ, itinerum, temporis, loci, quod te à publico auerteret obſequio, quid te prohibuit vnquam quamuis prohibeant plurima, & me hercule, id totum, quidquid facere debebas tum ſemper cum libenter faciebas. Et rectè quidem, qui ſe enim publico obſtrinxit magiſtratui, is publicam amplius ſuam non habet vitam: quod ſi publica abuti pecunia grande ſcelus eſt capite vindicandum, quid arbitrandum de vita cum qua ne digitum à publicis negotijs abeſſe licet, magis enim conſilijs quam opibus ſuſtentatur, publica ſalus. Nihil igitur huiuſmodi viris ad oblectamenta, ſupereſſe

peresse debet temporis, ne illud quod publicum sit in priuatis consumatur voluptatibus, illudque quod sanctum esse debet, libidine profanetur, funesteturq;. Aphricanus maior dicere solebat (nã alter P. Æmilij F. in Scipionum familiam adoptatus Aphricanus minor ob euersam Carthaginẽ & Numanciam vocabatur) nunquam se minus solum esse quàm cum solus fuisset, nunquam enim re, nunquam mente aberat à republica, quem Seneca maiorem Romæ benefactorem Romulo fuisse asserit, hic enim ædificauit, nemine repugnante, ille Haniabile & vniuersa Aphrica oppugnantibus, eandem conseruauit. Ita equidem esse deberet, nam qui Rempublicam negligit, is deserit societatem, ac iura naturæ violat, is prodit libertatem quæ res olim Sacrosancta fuit, eritq; semper quoad hic orbis terrarum stabit (tametsi falsi rerũ æstimatores, cũ licentia libertatẽ cõfundentes frustra in odium ipsam adducant) dico Sacrosancta libertas est. Quid? non ita leges? libertas & causa pia æquiparãtur, & vltra: quinimmo omni alia causa fauorabilior est: quocirca quisquis eam neglexerit, contempserit, spreuerit, sacrilegus

crilegus est, quia libertas superat causam piam. Et habes & habebis hinc magnum nomen, quod ijs in negotijs Reipublicæ damnosis potius quam periculosis non defueris, vbi cum animo, vt ciuis, cum ingenio, vt imperator, cum consilio, vt Senator adfuisti, vt amplius te benefactorem publicum nominare, non abs re fuisset, posteritas vero dabit tibi eam prærogatiuam & appellationem. Magnam enim gratitudinem assertoribus publicæ libertatis debemus gloriamq;, magna res est habere ciuem bonum: Senatorem prudentem, magna & inæstimabilis, nonnunquam enim vis & cardo reipub. in vno cõsistit, vt in Themistocle quondã qui vnus Atheniẽsium cunctando restituit rem. Recens in animis nostris est Illustrissimi olim Christophori Ducis à Zbaraz laudabiliter expedita legatio, in qua summa rerum magnarum reipublicæ consistebat, qui cum sua, & rarissima sapientia difficultates remouisset, & incredibili magnanimitate, vt par erat, huius generis sanguini barbarorum temeritatem & immanitatem cum superauisset, non tantum sibi gloriæ quantum reipub. commodi attulisse, nemo igno-

mo ignorat, qui vt nobis profuit viuis, ita nos eiusdem mortui perenni parētemus gloriæ. Hac quoq; de causa, nunquam satis laudari potest Nicolaus Zebrzydouius, postea Palatinus Cracouiensis, qui sub illo terribili interregno, Stephano Rege mortuo, cum rogaretur, vt apponeret calculum alteri competitori Regni, cui ille cum saniori parte, erat contrarius, (nam tanti viri accessione, sumam quoque rei, ad eundem competitorem peruētura credebatur, & ea propter inæstimabilia munera, sed longe maiores pollicitationes, interponebantur) fertur respondisse. Parricidium sibi videri, ea præmio facere, quæ nequaquam faciendi haberat animum. O virtutem præclaram, ô reipublicæ amorem, virtuti forte hoc non obfuisset, sed quia reipublicæ obfuturum credebat, abiecit. Non inquam sceleratus ciuis, sed hostis est reipublicæ, ille, qui viros magnos & prudentes Senatores, gloria non veneratur sicut & qui viuorum ob felicitatem non exultat. Et vero accedis ad Cracouiensem diæcesim, accedis inquam, ad conclaue summorum virorum, quisquis enim magistratu quopiā (cum sint

diuersi

diuersi) huius Palatinatus condecoratus est, magnum autoritate, magnum iudicio, magnum virtutibus, etsi ad rem pertinet, magnum genere esse deprehendes, & iure merito ipsorum albo inscribi debes, vt vno quasi palatio includaris. Ita equidem esse debebat in primario Palatinatu selectissimum esse magistratum. Intras ad illud Capitulum quod & tuæ diæcesis Senatus amplissimus & in quo amplissimorū Senatorum reipub. sunt filij: caput ipsorum factus es, qui seminarium sunt Episcoporum & flos selectissimus Sacri Ordinis: magna igitur tuæ Cathedræ maiestas, amplitudo, sanctitas. Circa eam deprehendes Patres Venerabiles integritate, honestate, eruditione, doctrina conspicuos, senio reuerendos, incessu graues, aspectu verecundos ac venerabiles in sermone suaues, in prædicando admirabiles, &, siquid, hoc inprimis & maxime desideratissimum esse deberet. Enimuerò præesse viris bonis magna est voluptas, longè maior gloria: vnū etiam habere bonum virum aliquando sufficit, semper tamen prodest. Hoc igitur tibi præcipue gratulandum esse videtur, si vnum bonum ac

 optimis

optimis ſimilem ſis habiturus, non quod vnus ſit tantum, plures enim ſunt, omnes autem eſſe creduntur; ſed vnum habere de quo nulla ſuſpicio vel opinio mali fuerit hoc dico maximum eſt, ijs enim ſæculum hoc, eſt moribus, vt cum pleriq́; ſint tamen ſiniſtrè interpretantur, felices igitur illi qui & ſunt & habentur, Deo & hominibus tales ſunt gratiſſimi, iucundiſſimi, amantiſſimi. Quia verò nullam alteram, hac habere potes, nec quidem habebis voluptatem, hoc tibi gratulor, magnum enim inde animi ſolatium es reportaturus, diuerſando cum mente mali ignara ſceleriſq́; pura. Verumenimuero offert ſe alter & is latiſſimus gratulandi tibi campus à quo verè poteſt peti gratulatio, eaq́; & iuſta & competens, & cum primis conſideratione digniſſima, nimirum quod te Deus Maximus non tantum præuiderit, quod & reliquis hominibus commune eſt, ſed deſtinauerit etiam, atq́; his rebus præfecerit, gregem tibi eum paſcendum & commiſerit & concrediderit, te inquam ſolus Deus ad hoc vocauit & deſtinauit. Si ita eſt magno applauſu excipiendus eſſes, nam ſi principibus placuiſſe viris non poſtrema

laus eſt,

laus eſt, Deo placuiſſe ingens eſt gloria. Sed fortè hoc non conſtat, forte aliqua obijcit ſe ambiguitas, præſertim ſi omnibus idem non eueniſſet? vnde igitur eius rei depromemus argumenta, hoc itaq; dicere aggredior, hoc comprobare, quod ſi fecero, rem magnam efficiam cunctoſq́; ad gratulandum tibi acclamabo, conuocabo, inuitabo, Te igitur deſtinatum huic Epiſcopatui à ſolo Deo deduco. Neq́; inſtitutum meum neq́; ratio dicendi poſtulat, vt agam de prædeſtinatione, alienum enim id à meo eſt propoſito nam & ipſum verbum alijs præter Theologos eſt inuſitatum & ab occaſione hac dicendi, alieniſſima iſta materia, nimirum quà ratione aliqui fuerint, prædeſtinati ad gloriam, circa quoſdam, nulli habiti actus, hæc enim omniū maxima difficultas, quam iure merito S. Mater Eccleſia, ab ingenijs humanis ablegauit ne ſcrutatores maieſtatis opprimerentur à gloria, emergebat enim hinc plus errorum & impietatis, quam veritatis & doctrinæ eruebatur, non hoc igitur volo, non hoc dico non hoc contendam, ſed quod erui poteſt ex rationibus propemodum veris, quid velit Deus quid no-

 lit, quid

lit, quid præordinat, quid permittat tantum. Atq; primo omnium Philosophorum, quotquot antiquitus fuêre (illi enim inprimis appellandi mihi, qui natura duce, nullo fulgore fidei illustrati Philosophati sunt) ij omnes vnanimi consensu, vno ore, quasi eadem lingua, eodem spiritu Deum summè bonum, ipsamq; bonitatem esse voluerunt, atq; concluserunt. Vnus erat qui duos, cum posuisset deos, alterum bonum, malum alterum appellauit. Quid ineptius? quam prauitatem & nequitiam humanam Deum appellare? non absurde enim, pars non postrema modernorum sapientum asserit, malum nihil aliud esse, quam carentiam boni, qua de causa summum bonum esse, summum malum nequaquam esse posse existimant. Qua sapientia, quid subtilius? quid pulchrius? quid rationabilius? hic inquam vnus, & cęterorũ, abiectissimus homuntio delirauit, cũ nec albũ nigrũ, nec Deus malus esse possit. Recedamus ab hoc spurcissimo, & profligatissimo heluone neque enim homuncionem vocabo, quia vltra stultitiam delirauit. Reuertamur ad omnes rectius philosophantes. Summè bonus

est Deus

est Deus, quia quotquot bonitates sunt siue publicæ, siue priuatæ tam sacrę quam prophnæ, omnes à Deo tanquam ab illarum fonte, dimanant diffluunt atque dilabuntur: summè bonus Deus est, nam per eum nemo vnquam fuit miser nemo deploratus, perditus nemo; nostra non diuina, nequitia attulit, & affert nobis eas quas tolleramus calamitates: Nõ dij attulerũt Priamo eam infelicitatem cum mortem filiorum excidiũ regni, ruinam vrbis videret, sed adulterium filij: Non dij intulerunt eam vim Tarquinio, cum regno exturbaretur, sed ipsius ambitio, superbia maleuolentia: non Dei aliqua inclementia noster Boleslaus excidit regno, sed illius crudelitas, & sanguinolentia, cum pepulit, eiecit, euertit. Nemo vnquam per Deum fuit miser, sicut viceuersa, nemo felix sua mediante voluntate. Suo vnusquisq; arbitrio potest se periculo committere, at verò posse elabi, diuinum est opus: facile quiuis miser, felix nemo, nisi Deus voluerit esse potest. Quot sunt qui sibi exitium, ruinam, calamitates, pauperiem, vel cruces diuersas pepererunt, quot sunt qui non modo sibi, alijs etiam calami-

tates

tates intulerunt? quot sunt qui diuersis diuersorum malorum, causæ & initia extiterunt qui tamen à se ipso habuerit felicitatem. hucusque fuit nemo. Aliqui forte, quamuis pauci. At hoc quomodo in vnius, si non quoque in reliquorum esset potestate, cur non in eorum etiam, qui eandem apprecantur, inuocant, implorant. Deus pelagus est omnis felicitatis fons & origo bonitatis, diuinitas ex beneficentia illucescit, è cælo igitur omnia bona omnis felicitas, quælibet beatitudo, occasiones quidem conquiruntur à nobis, conquisitę arripiuntur, arreptę detinentur, & amplectuntur: spes tamen vel potius res ipsa fugit, & auertit se aduersa, omnes spes alit, sed nō paucos fallit. Atque quia à Deo, non spes fallax sed ipsa habetur felicitas, nihil quod nobis boni obtigit non è cælo nobis esse datum destinatumque est existimandum. Quidquid igitur boni habemus, è cælo id acceptum esse, à Deo id sibi datum quiuis sciat, credat, fateatur, neque enim aliunde bona, felicitasque haberi potest, quidquid verò mali, non aliunde quàm à nobis, à nequitia, sceleribusque nostris id promanasse nouerit oportet.

Et hæc

Et hæc magnorum virorum & celebris & docta & maximè pia sententia est. Quomodo igitur Te à Deo datum esse nobis non existimabimus? cuius virtus, pietas, prudentia, iudicium magno commodo vniuersis futura sunt, magno fructui ingenti vtilitati. Et quidem virtus ingens bonum ab omnibus exoptandum & amandum ad quem non peruenit? quem non tangit? quem non afficit commodis, voluptatibus, felicitate? & quamuis hæc sit natura vniuscuiusque bonitatis quod dilabatur & in omnes diffluat, virtus tamen id habet peculiare, vt non tantum ijs qui illa sunt præditi, sed quibus cum illi versantur, viuunt, cohabitant, non parum prodesse soleat. Sed fortè non omnibus planum est, plurimos latet quid sit virtus? nemo rem vidit, pauci quid sit audiuerunt, multo pauciores conceperunt, vix aliqui sunt qui didicerunt. Prodesse omnibus, ista est virtus, quæ tot gentes ab internecione liberauit, quæ tot Respublicas à seruitute saluauit, quæ tot vrbes ab excidio conseruauit, quæ tot homines à calamitatibus vindicauit. Hoc tempore nemini nocere satis ingens virtus

est, hoc,

eſt, hoc pro ſumma reputatur virtute: & in ijs ſæculi moribus beneficij loco eſt, non excruciari ab ijs qui eo potentiæ deuenerunt, ſi tamen beneficium vocandum, cum latro dum poſſit non ademerit vitam aut prædator ſarcinas vel opes quaſuis. Virtutis nihilominus eſt adeſſe, prodeſſe, opitulari, auxilio eſſe omnibus: at iniurias non prohibere, miſeris non ſubuenire, ſocietatem eſt prodere humanam, leges violare naturæ, quas nobis natura obſeruandas indidit, ingenerauit, & quas deſerere magnum eſt crimen. Neceſſitates, pericula, calamitates reipublicæ, vberrimè nobis tuam patefecerunt virtutem, quam tua præſentia recreauiſti, opibus iuuiſti, laboribus ſubleuaſti, & quamuis labores graues ſint, conſilium non omnibus obuium, complures tamen conſilio prodeſſe malunt, pauci facultatibus: minima enim eſt cōſilij iactura, immouero quò magis impenditur eò plus conquiritur: pecunia ſecus, qua nunquā alijs ſine damno quiuis inſeruiuit. Bonus eſt qui conſilium dederit optimum, ſed qui & mediocres pecunias, js optimus eſt habēdus. Virtutem cum pecunia, famam cum diuitijs, eſt

tijs, eſt

tijs, eſt ſeruare difficilè: nam quemadmodum vmbra lucem auerſatur, nox diem pellit: ita virtutem cohærere pecuniæ, incredibile eſt, niſi eā noſtram magis audiuerimus, quam ſentiamus eamque publicæ accōmodare vtilitati parati fuerimus: eſt enim colligenda vt ea reipublicæ, cum neceſſitas venerit, profuerimus, multi ſe & patriam perdiderunt, qui ſuas publicari opes detrectauerunt. Sed hoc quid eſt? virtutem ne laudo, an te virtute ornatiſſimum? virtus cur laudanda quam nemo ſceleratiſsimorū vituperauit, reprobauit, contempſit, res manifeſta eſt, niſi lucem in meridie quæſiuiſſe videatur. Si Te virtutibus ornatiſſimū deducere cōtendo, eius rei non ero auritus teſtis, dicam, qui oculis ſuis magna tua beneficia in Rempub. in Eccleſiam, in pietatem, in domos ſacras, in religionem viderunt. Partitus es beneficia tua ne vnum in locum redundarent, ſed quantum debebas reipublicæ dediſti: Eccleſiam tua liberalitate plurimum ditauiſti; nobile Collegium Sacerdotum, dotauiſti, erexiſti aliqui: noua tanquam cito ruitura: tu & collapſa amplius ne corruerent refeciſti, atq; auguſtiora reddiſti.

 Qua ex

Quâ ex liberalitate tua facile quiuis coniecturam facere poteſt, qualem in cæteris virtutibus te præſtiteris, ſi talem in pecunia collocanda expendenda, id enim hoc tempore difficillimum eſt, multis ſe'offerentibus exemplis corradendæ & aſſeruandæ pecuniæ, neq; extra familiam exportandę: Vbi nihil referre exiſtimatur, ſi nudus Chriſtus ante fores ploret, dum amici, fratres, nepotes, in palatijs gaudeant, ſi pauperes fame moriantur, cũ agnati luxuria diffluant. Verum boni viri eſt recto iudicio, non peruerſis inniti exemplis, ne ſequendo alios à ſeipſo recedere videatur. Accedo ad Tuam incredibilem doctrinam, quam ſi mecũ reputo tanta eſt, quanta meo rudi calamo delineari nequit. Noſti optimè Illuſtriſſ. & R̃ndiſſ. Domine poſſe depingi corpus, poſſe & affectiones, ex certis enim ſignis ad certa deuenimus ſignata: ſic illa facies, quæ ſculpta Hannibalis Romæ in in palatio Farneſij viſitur, truculentiæ documentum eſt id enim & oculi prominentes & naſus aquilinus edocet. Sic Pompeium magnum effigies, vrbanum hominem, elati tamen animi, ex aliquorum habemus coniectura: Neque à vero

procul.

procul, ità enim res ipſa edocet: quid plura? pars iſta Philoſophiæ eſt. E ſcriptis etiam, mores ſcriptorum deprehenduntur, iudicium tamen & doctrinam aſſequi ſola inſpectione, haud poſsibile eſt, abdidit enim hoc natura in ſecretiſſima penetralia, res enim pretioſæ ita aſſeruari ſolent. Doctrinam Tuam comprobarunt Tua iudicia ſapientiſſima, decreta ſacroſancta, deciſiones admirabiles, iſta vehementiſſimè Tuam commendant doctrinam commendabuntque. Enimuerò Tuis ſanctiſſimis decretis, quod ius expreſſè non tradidit Tu tradidiſti, qua re iuris peritorum chorum, ita illuſtraſti vt amplius non ad ſuorum librorum tenebras ſed ad lumen Tuarum enodationum omnes confugiant & ſe referant. Si licuiſſet commemorauiſſem aliqua, ſed quia aliqui commemorando perſtringendi mihi fuiſſent, conſultò prætermittò, etſi enim fauores captare omnibus liceat, odia tamen euitare omnes tenentur, ſi id absq; publico diſpendio eſſe poteſt. Nec mirum ſi eo perueneris, nam ſi iuſtitia in ſe virtutes complectitur omnes, quomodo non Iuriſprudentia, cuius Tu non imitator ſed auctor, doctor, & ex-

poſito-

posito res? Non nobis tantum, exteris etiam, non iniucundus est liber quem tu in hac materia conscripsisti. Aliqui autores historiæ extitere, sed hoc quid est? expuere in cælum, etenim & veritas odium parit & falsò quidpiam prodere, est decipere omnes, à qua re, verecundia tàm sceleris, quàm conscientiæ abduci debemus, quod Historico familiare est crimen. Tu & Tibi gloriam peperisti, & omnibus ingentem vtilitatem attulisti. Verumenimuerò, quid ad rem doctum esse? sapientem esse? cui bono, iam enim eousq; malitia & impudentia huius sæculi profecit, vt aliqui id quærere non vereantur. Ecquis est tam stupidus qui ista non intelligat? & priuatæ & publicæ, & sacræ & profanæ commendant literæ sapientiam, vt quæ sola sit, quæ post mortem, etiam nobiscum sit mansura in cælis, magni doctoris Hieronimi ad Paulinum ista sententia est, esse discrimen simplicis à sapiente in terris, maius fore in cælis. Nobis igitur tantum re literaria, Reipub. minime prosumus, nobis, non patriæ gloriam conquirimus, noster non publicus inde honor est. Magna est vis doctrinæ magna, ingens est, nam

nam vbiq; diffundit suos radios, splendorem, & lumen, discutit tenebras ignorantiæ, indicat fortunæ instabilitates vitæ humanæ, & rerum inconstantiam, edocet in quibus consistat felicitas: quæ res, quæ gloria, quis labor, quod exercitium, quæ vitæ conditio, quam sapientia clariorem, splendidiorem, augustiorem non reddiderit? Sponte semper sapientibus obtulit se felicitas benignam, ni sperneretur: plures virtute contenti, diuitias tanquam irritamenta malorum contempserunt, tum se locupletissimos censentes, cum non opibus creuissent, sed de cupiditatibus plurimum detraxissent: aliqui eas sine cupiditate, retinentes, magis suas audiunt, quam sentiunt, retinent enim opes vt egenis qui ijs indigent benefaciant, prodesse enim alteri quiuis dum modo possit tenetur. Neque verò diuitiæ in manibus viri sapientis malæ sunt, quæ in manibus viri profligati pestis esse consueuerunt, non enim asserimus paupertatem, diuitijs meliorem, sed securiorem, & faciliorem. Magna verò est ista peruersitas, sollicitum esse, circa eas res conquirendas, quæ magnis impensis factis, in-

ctis, incertum si haberi poterunt, illud verò negligere quod sine sumptu, sine labore, sine periculis nobis obuenire potest, & quod est securius. Verum huius sæculi hoc vitium est, omnes curamus vt diu viuamus, quum tamen diu viuere nemo potest, omnes possunt benè viuere, hoc tamen vix est qui curauerit. Sed nos vnde sumus digressi reuertamur. Non tantum illis gloriosa est sapientia, qui sapientes sunt, sed & illis, qui hos retinent, atque apud quos diuersantur, non mediocrem cōciliat gloriam. Prius nostra patria dulcissima, re Academica quam, militari, mundo inclaruit, nō ita? puer est qui ignoret, Polonorum primam esse mentionem factam tùm, cùm celebritas Academiæ innotuit, si nos cum barbaris, si barbari simul nobiscum reponebantur, est incertum, Poloniæ antea nullá, tunc celebris esse incepit mētio. Hæc prima occasio fuerat nominis Polonici inclarescendi, hæc æstimationis, hæc gloriæ, quam rem perspectam habens Rex Stephanus de ea augustiori reddenda studiosissimè cogitabat, morte tamen præuentus, Rex & vita longiori & gloria immortali dignissimus, quod ex animo optabat

optabat non perfecit. Dania armis minus, re literaria & studio Tychonis, gloriosissima effecta, minus quidem vtili, sed ingeniosissima rerum cœlestium cōtemplatione, quomodo ob centrorum variationes, diuersitas motuum innotescat. Ille est Tycho qui primus cometas posse incendi supra solem asserere ausus est, quæ olim impia fuit, nunc certissima sententia est: Ille qui primus Martem in ima abside inferiorē esse sole demonstrauit. Sed ista omnia ad fallēdum tempus per quam iucunda, publicis necessitatibus accōmodari nequaquam possunt. Maiores gratiæ agendæ iis, qui nobis primi regulas architecturę militaris tradiderunt, vel potius alta caligine obductas, luci & vsui restituerunt, siue ij Holandi, siue quipiam alij fuerint, rem enim omnibus gratissimam, & vtilissimam præstiterunt, reformata militia, quæ propter suam leuitatem, nec hostibus grauis esse potuit; cum ad bellum non armati, sed plumati ire consueuissent quorū superbia execrabilis nuper, tanquam vtres vacui supra aquam se ostentando enatauit: modò instructissimi sunt ad infinitas hostiles copias defatigandas, & tempore frangen-

frangendas, vel nullo vel exiguo ſumptu, quod maximum eſt. Non deſunt amplius bonis Imperatoribus modi hoſtes oppugnandi tot, quot ab hoſte defendendi excogitantur, ingenio enim hominibus decertare conuenit, non ſemper viribus, brutorum enim hoc genus certaminis eſt, quæ, ab hominibus omnia, ratione ſuperantur; plures conſilio vincuntur quam armis. Neq; eo inficias, inſtructum hac glorioſiſſima ſcientia debere eſſe virum Ciuilem, tanquam publicis rebus vtiliſſimum. Sed quid hoc ad Tuam ſapientiã, ſine qua, nec pauper nec diues, nec ſenex nec iuuenis, nec miles nec togatus eſſe poteſt, dico de iuris cognitione in qua Tua dexteritas admirabilis, quę & omnibus, & ſemper, & vbiq; vtilis eſt. Nemo verò ſua ſcripta cum tuis conferat, ſcripſiſti, non propter otium honeſtum, vel ſolatium animorum, ſed propter vtilitatem vniuerſorum, non huius vel illius Magiſtratus cauſa, ſed omnium Magiſtratuum vniuerſim, non his vel illis hominibus, ſed vniuerſis, non priuatis, publicisué, ſed vtriſq; tuum inſeruit opus, nec tantum domeſticam vel vt dicitur togatam affert ſapientia gloriam, res literaria & bellicis rebus plurimum confert: nemo rectè tractauit arma qui nunquam calamum. Delirant aliqui, ſapientiam à re militari ſeiungentes, vna Dea Pallas & ſcholarum & bellorum eſt: multa huius generis vulgus, ſine ſale, vt vulgus. Tantum quæuis natio bellica laude claruit, quantum ſapientiæ habuit, omnibus literæ attulerunt ſapientiam, pluribus ingenium, ſuppleuit experientia. Quis ignorat Epaminundam Thebanum in Academia ſemper, in caſtris nunquam verſatum? Is tamen patriæ cõmotus calamitate, è ludi magiſtro glorioſiſſimus Imperator, duobus ſummis victorijs, nunquã è memoria orbis exciſuris, ſummos quoſq; antegreſſus eſt Imperatores, nõ modo euerſis Lacedęmonijs, ſed ipſorum imperatore Lyſandro victorijs exercitatiſſimo, occiſo. Quis ignorat Paulum Æmilium ludi magiſtrum viciſſe Perſeum, ſubiugauiſſe Macedoniam, euertiſſe regnum hoſtium, quod multis annis viri militares pręſtare non poterant: & quanquã is rebus geſtis clariſſimus, clarior tamen quod manus continentiſſimas haberet, qui illata vi incredibili diuitiarum in publicum ærarium, ita

um, ita illud ditauit vt ad Panſæ & Hirtij tempora quibus temporibus omnium maxima gerebātur bella ſufficeret, ipſe ne teruncio quidem factus eſt ditior. Olim enim gloria non auro domos ſuas exornare Imperatoris erat, laude non opibus ſuperare reliquos, ſua publica facere aliena non attingere: olim bellis ditabantur populi, in pace tenuiores fiebant. Non commemorabo hocloci Aphricanum minorem, qui euerſa Numantia, Carthagine deleta, opulentiſſimā fecit Rempub. ipſe quo ſepeliretur ſibi nihil reliquit, hic nihil vnquam emiſſe, nihil vendidiſſe, nihil ædificaſſe traditur: pluris æſtimabatur, apud antiquos, mediocris gloria, quam magnæ opes. Vnus erat Spartæ Gilippus, qui cum non idem, quod boni imperatores ſolent feciſſet, vno publicæ pecuniæ furto, multis clariſſimis victorijs partam gloriam amiſit vt rei atrocitate commoti ciues, laqueo ſtrangulandum mandauerint, apud quos plus odiū huius nefarij ſceleris, quam rerum geſtarum gratitudo valuit. Quid plura de cæteris. Nemo clarus qui non doctiſſimus imperator. In Alexandro Magno plus valuit ingenium quam

um quam in Dario & mille alijs, militaris experientia, puer enim è literario ludo, maximus ingenio, viribus inferior, nouit ſuperare Reges, euertere regna, expugnare vrbes; Hunc ſi non ſuperauit, certè par illi factus Cæſar, non minus clariſſimus quam doctiſſimus Imperator. Quid de Pompeio M. & Octauio Auguſto dicam? hunc Antonius, illum Carboniani puerum contumeliosè appellabant, quos viros experti ſunt: Non ambitione, neque arrogantia, ſed ingenio hoſtes vincuntur, fortitudine inimici. Et Solimanum prætermittere non licet, (etiam in hoſte virtus laudanda) is vnus Turcarum potentiſſimus vnus & ſapientiſſimus, qui Iulium Cæſarem ſuum in bellis gerendis fuiſſe pædagogum ſolebat dicere, qua de cauſa eiuſdē commentaria, barbarā docuit linguā, barbarus quidē ſed nō barbarè indicauit, quod inane præſidiū ſtultus imperator. Et noſter Tarnouius vir & ingenio ſummus & laude bellica clariſſimus, prout eruditione omnes ſuperabat & ingenio, ita huc vſquè bellica gloria à nemine ſuorum ſuperatus eſt ille omnium Princeps: quantum verò js poſſit ingenio, quantopere bellica

bellica laude præclarus, ab exteris depromendũ est, cùm nulli apud nos ſcriptores publici ſint inſtituti, magna & virorum præclarorum iniuria & Reipublicæ detrimento, ſubtractis & bonorum exemplis & malorum infamia. Alibi Mars non fauet niſi vbi Muſæ ſuam collocauerunt ſedem, in Græcia olim, poſtea Romæ, nunc in Hiſpania, hæc ignota paulò ante, nunc, & ingenio admirabilis, & bello clariſſima. Sed quid in re manifeſta elaboro? non proteruus ſed rudis, non rudis ſed ſtultus & ſine ratione fuiſſet, qui eam rem non conceſiſſet, ingens bonum, Senatorem habere prudentem, doctum, de re literaria optimè meritum. Tu Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. Domine talis es, Te propter ſapientiam collaudauerunt omnes nationes, Te amauerunt Tui, Tibi cedunt æquales. Bonus igitur tu es, à Deo igitur deſtinatus tu es, qui omnia deſtinat bona. Atque quæ dixi nulli arbitror faciunt ſuſpicionẽ, ſecus enim ſentire impietas fuiſſet. Bonum verò te eſſe Reipublicæ, quid certius? hac vnâ re adhuc comprobabo, quia ſalutem Reipub. gloria domus Tuę antiquiorem habuiſti, tanquam hanc ſine illa nõ duraturam, illam ſine hac vtcunque. Ita né? Ita equidem. Cùm tuum nepotem Viennæ in aula Cæſareæ Maieſtatis reperiſſem, iuuenem heroicis virtutibus ornatiſſimum, ab eoque cur ſe, ad te non cõferret quæſiuiſſem, libenter inquit ille feciſſem, niſi aliter Patronus meus ordinauiſſet (te intelligebat Illuſtriſ. Dñe.) expectat me in Polonia fortuna, ſi bene inſtructus rediero. O prudentiam inenarrabilem, ô iudicium incredibile, ô bonam, ô feliciſſimam Reipublicę fortunam, quę tales viros habere meruit, hoc enim vnum ad ſalutem Reipubl. cuiusuis maximè eſt neceſſarium, vt nõ amicitia, ſed dignitate honores atq; magiſtratus à quouis cõſequãtur. Quod ſi omnes publicã ponderarent ſalutẽ, non ſuam exiſtimationem, non tanti euenirent, quanti contingunt in Rebus publicis errores, hinc enim & maxima & certiſſima Rebus publicis euenit infelicitas, cùm viri primarij, cupidiores ſunt retinendę dignitatis, quàm publicę ſalutis. Hæc res Florentinorum euertit libertatem, dum primates non quòd ſalubrius patrię, ſed quod ſuis familijs honeſtius arbitrabantur, id in conferendis, honoribus conſiderabant.

Multa

Multa allata, ſed multò plura afferri potuiſſent, tuę bonitatis argumenta, quę ab amore, à liberalitate Tua in Rempub. à ſapientia Tua omnibus proficua, peti poſſent, & quidem non illa populari, ſed cùm quâ præſtantiſſimi contendunt, quā inferiores mirantur, omnes venerantur, vt affirmare audeam, Cathedram hanc tanquam tripodem illum ad te ſapientiſſimum, veri Dei non Apollinis iudicio delatam fuiſſe, neq; enim locus is vulgariter eruditum, ſed eruditiſſimū expoſcebat. Et quia omnia à Deo hominibus deputari conſtat euidenter, quomodo Tu deputatus & deſtinatus nobis, Patriæ, Reipublicæ, fateri nō debes? cum nihil boni præter diuinam voluntatem hominibus euenire poſſit. Afferam alteram non quidem planiorem, nam quæ dicta ſunt, ipſa luce ſunt clariora, ſed vt deducam rem veram, vndiq; deduci poſſe, nam ſi reticuerimus veritatem enatat illa, ſi comprobamus illa non verior lucidior tamen eſt. Quam primum mortuus eſt, anteceſſor tuus, omnium penitus votis affectibus, conſenſu, deſideratus inuocatus atq; es expectatus, ab omnibus inquam tibi hæc amplitudo, ab

do, ab omnibus ſedes iſta delata eſt, qui te non deſideraret, qui te ſibi præfici nolit, qui te paſtorem ſibi dari, non exoptaret, fuit nemo. Fuit nemo? atquiné Iuppiter placet omnibus, omnibus placere difficile eſt. Crede mihi, nemo aduerſatur ijs, quæ fiunt diuina voluntate, & decreto, pueri quoq; quamuis rem non concipiant, diuinis morem gerunt decretis, quis vnquam à quopiam ſede vacante, appellatus præter Te? quis nominatus? quis deſideratus? Te & ſenes, & iuuenes, & Clerus & ſæculares communibus ſuffragijs, futurum Epiſcopum deſignauerunt, delegerunt, ad noticiam omnium deduxerunt, pueri etiam, hunc, tanquam lætiſſimum nuncium circumtulerunt, Te futurum Epiſcopum Cracouienſem, cum tibi tantū abeſt de morte, ſed ne de ægritudine anteceſſoris tui conſtaret. Rarus iſte caſus, nec abſq; miraculo fieri conſueuit. Anno recenter elapſo in numerum ſanctorum relatus Diuus Andreas Carmelitanus, cuius inter vitæ miracula, & hoc non poſtremum eſſe cenſetur, quòd ſede vacante Feſſulis, non modo populi vniuerſi conſenſu, ſed puerorum etiam applauſu, & vo-

tis, no-

tis, nominatus Episcopus esset: Dei est voluntas, cui nemo refragatur mortalium. Qua ex occasione duo mihi soluenda occurrunt. Alterum quidem quod te complures Administratorem huius Diœcesis dignissiimum recordentur, Cancellariumq; Regni, quibus iustitia tua singulari commendatus es incredibiliter: alterum, quia ordine quodam, propemodum necessario, te ista amplitudo tangebat, vnde omnes te, & non alium fore Episcopum, coniecturam sumebant. Ad primum, est quidem verissimum, te laudabiliter administrauisse Tuam Diœcesim sine fastu, sine arrogantia, & præter omnium querimonias: terra Seueriensis id testatur vberrime, quibus, cum iustus esses, acerbus non fuisti, arrogans non videbaris, contumeliosus non habebaris, Patronum, non Iudicem Te esse ipsorum demonstrabas & certè quid amabilius iudice, affabili? quid iucundius domino ab omni ambitione alieno. Crede mihi in plebeis animis satis arrogantiæ, superbiæ, contumeliæ: nec pati nec facere contumeliam est heroici animi, vbi plus arrogantiæ ibi generositatis minus. Te igitur Tuaq; experti iudicia

iudicia vniuersi, nemo erat, qui oppressus iniquitate iudiciorum abs te causam suam exaudiri nō exoptaret, id enim erat tui officij cum Cancellarius fuisti, abs te tam inferior quam superior causa, summa cum animi tranquillitate abscedebāt, alter quia suum recuperauisset, alter quia alienum reddidisset, tanta erat Tuorum iudiciorum, autoritas, fidesque, vt mirum non videretur, si vniuersorum fauores, hac in re prouocares. Sed non rarò iustitia homines, Deum tamen nūquam offendit, obsequium amicos veritas odium parit, ecquis est adeo puer qui ignoret vt quò quisque iustior eum plùs malorum expositum odijs. Id tamen credo, id fateor, id affirmo, Te nūquam potuisse ab omnibus nominari, nisi volūtas & destinatio id effecisset diuina. Quid verò ad alterū? iure ordinis consecutus es eam dignitatem quę præterijt plurimos ex eodem loco vel ordine. Ex ordine consecutus hanc sedem? quomodo esse poterat vt ambire eandem aliqui haberent animum? ecquis nam fuisset qui eam ambiret si ei loco debebatur, cui tu præsidebas: insipientis est velle eripere triumphanti palmam, regnanti

 coro-

coronam, ſucceſſori hæreditatem, non igitur iurè ordinis, ſed Dei optimi beneplacito eam poſſediſti, ſummam igitur conſequutus es & nominis amplitudinem & loci maieſtatem, & dignitatis eminentiam, Dux Seuerienſis factus es, non mediocris iſta maieſtas: Senator primarius inter Epiſcopos, magna amplitudo, præſtantiſſimæ Diœceſis Præſul, ingens eminentia, præter enim officium quod ſanctum eſt adeſt tibi in republica per ampla auctoritas, & poteſtas. Hac magnitudine, ſunt aliqui qui commouentur, maximè verò cum videãt ad eam potentiam & amplitudinem acceſiſſe Tuam eruditionem incredibilem, iudicium ſummum, magnanimitatem inſuperabilem, iſta non mediocriter aliquos conturbant; quid? commouentur quia ornaris tanta amplitudine qui te ipſum virtutibus ornatiſſimum feciſti? Illi dico commouentur, quibus cum egeſtas ludibrio eſſet, attamen S. Petri deprædicant paupertatem, quaſi vero placeat eis illa, non verò potentiam exhorreſcant Eccleſiaſticam quę è paruis initijs eò vſq; faſtigij erat peruentura, vt inuitati ad illud diuinum conuiuium venire nolentes: haberent

per quos

per quos attraherentur cogerenturque intrare, quis hoc facere poterat ſi non potentior? Magni veri pagina eſt Eccleſiã Dei grano ſinapi eſſe ſimilem, quod in principio ſui exortus adeo exiguũ eſt vt ſenſum fugiat. Audite inuidi ne contabeſcatis, attendite maleuoli, ne ante tempus crepetis; ſemen ſinapi exiguum eſt, excreſcit tamen hoc apud nos in frutices non mediocres, in calidioribus terris plane in arbores frondoſas, & quod nuper contemptui erat omnibus, poſtea & hominibus aduerſus ſolem & auibus contra volucrum rapaciorum incurſum receptaculum eſt: hoc modo excreſcere debebat Eccleſia Dei, ad eam amplitudinem erat peruentura, in qua vidimus iam aliquos nunc te videmus qui reliquis propter auctoritatem æqualis, propter virtutem & ſapientiam longe potentior. Hoc igitur ſi illi ſciuiſſent cur non tacerent? ſi ignorant cur inſultant? cur expuunt in cælum? creuit, excreuit, maturuit, quæ & nunc ſancta & olim minus potens fuerat Eccleſia Dei. Nemo igitur commoueri debebit tuo ſplendore, tua magnificentia, tuo apparatu, & dignitas enim tua id meretur &

 autori-

autoritas qua polles id expostulat vt Ecclesiæ potentia inclarescat, atq; ab vniuerso orbe cognoscatur iam creuisse & maturuisse hoc sinapi in sui initio minutissimum: quisq; intelligat iam esse messem, iam amplius thoris, napellis, cicutis alijsq; herbis venenosis non licere esse. Ecquis est in toto orbe Christiano qui fidem Catholicam non didicisset? Ecquis est qui parentibus vel maioribus suis Catholicis natus non fuisset? Ecquis est aduersæ Sectæ qui aut per se, aut per suos maiores fidem Deo & Ecclesiæ non dedisset? ad quã retinendam, seruandam, præstandam soli Iudæi & gentiles cogi non debent, ijs enim nati sunt parentibus, qui nunquam à fide data Deo & Ecclesiæ transfugerunt & recesserunt. Quis igitur illos transfugas impios & periuros homines ad obedientiam Dei & Ecclesiæ reduxisset, quis ad præstandam fidem & obedientiam coegisset, nisi tãtum potentiæ Ecclesiasticis destinatum & concessum fuisset. Iam messis est iam maturuerunt omnia, iam Ecclesia Dei peruenit ad eam magnificentiam, vt Præsules autoritate superent viros primarios, potentia Principibus æquentur, magnum

gnum hoc Ecclesiæ Dei est argumentum mag na comprobatio quod Dei sit num quæ piam illarum quæ pro Ecclesijs haberi volunt, eò vsq; potentiæ deuenit, vel peruentura est? non homines verum ipse Deus non patietur ista, non feret, non permittet. Desinant murmurare, desinant obtrectare, desinant carpere Pontificias autoritates, dignitates, magistratus diuinos, quibus rebus complures vidimus defatigatos, lassatos, atq; nimia sollicitudine à viribus penè destitutos. Sit nemo hostis tuæ amplitudinis quam incredibilem tecum allaturus es, nam quemadmodum cæteros iudicio & doctrina superauisti, ita & amplitudine certum est quod superabis, pristinam augebis, huicq; dignitati, non parum ornamenti afferes, quæ pietate & probitate virorum bonorum hucusq; propagata, ad eam quam nunc habet, peruenit maiestatem. Verumenimuero nec doctrina ita infelix est quod omnes non debeat afferre felicitates, nec ita felix quod aliquam apud male iudicantes non incurrat notam, sicut sol qui concoquit humiditates, verumtamen in calidioribus regionibus ita concoquit vt etiam ea ex concoctione,

ctione, fragrantissimum arboribus conciliet odorem, in his partibus secus in quibus humidum viscosum valde & impurum concoqui non potest, fætorisq; aliquantulum odoris nihil ingerit, quòd non propter solem sed recipientium naturam fieri oportet. Eodem modo effecta doctrinæ, prauo aliquimodo accipiunt, rem aliter quam sit concipientes: quod apud rectè sentientes est iustitia, peruersè existimantes austeritatem interpretabuntur, doctrina iudicium, iudicium iustitiam gignit, quæ seueritatis apud quosdam indicium est. Cur ita, doctrina comparat iudicium, pietas commouet conscientiam, qui plurimum valuerunt pietate & iudicio: non absq; illa affectione, quam communiter commotionem animi appellamus, esse poterant, ijs præsertim in rebus quibus non commoueri iniquum est. Summis laudibus celebrata peruenit ad nos austeritas Catonis, viri integerrimi, hunc alij crudelem, inhumanum alij appellabant, integritas enim eius tanta fuit, vt non modo aliquid indecorè facere, sed ne tollerare in reliquis, posset turpitudinem. Quis tam princeps, quem ille non obiurgauisset? quis

quis adeò amicus, cui pepercisset? quis tam potens, quem pertimuisset? magna illius in dicendo grauitas, in accusando vehementia, in iudicando seueritas, nec bonis tam gratiosus, quam malis infensus fuisse perhibetur? quis Pompeio M. magnificentior? quis Iulio Cæsare bellicosior? quis Crasso potentior? omnium horum contempsit fauores, repudiauit gratiam, renunciauit amicitiæ, detrectauit affinitatem, ne aut fauor, aut gratia, amicitiaué illorum obfuisset sibi, ad liberè pro patria & libertate dicendum, ne proximior amicis quam patriæ efficeretur, & ne aucupando vnius fauorem, omnium proderet salutem & libertatem; Imo verò cum videret eorum necessitudines & nefaria cogitata nuptijs inter se firmari, clamare non dubitauit: cessate parricidio ciues scelerati, vestris lenocinijs summos prostituistis magistratus. Fuit namq; vir integerrimus, Philosophia Stoica instructissimus quæ in scelera rigidior erat, cuius multa Paradoxa tanquam crudelia Cicero pro Murena in medium attulit, vt ostendat non Catonem austerum, sed Philosophiam eius esse acerbiorem. Quid dicam de Ioanne Chryso-

Chrysostomo, qui propter seueritatem in diuersorum flagitia & Origenis asseclas maluit diuturna suffere exilia, quàm non seuerus haberi, quia igitur parcebat nemini, à nemine non timebatur, à paucis itaq; non amabatur. Vnde ista? ex iudicio excellentiori, pietati iuncto. Et S. Nicolaum Mirrhę Episcopum fuisse vehementiorem, proditum est memoriæ ijs in rebus quæ impia illi videbantur, adeò vt Arianum de filio Dei impiè garrientem manu etiam cum verbis non posset cõpescuisset. Seueritas non semper mala, pars iustitiæ quandoq; esse potest, lenitas nunquam bona, & huic cum iustitia nihil, hæc & mala auget, & bona dimminuit, illa mala prohibet, bona adauget; vel potiùs humanissimum dicamus & magnæ misericordiæ qui seuerus est ideo, vt malis scelera excutiat, bonos securitati restituat, & eosdem à horrore liberet. Lex erat Lacedęmoniorum reges seueriores essent tum propter allatam causam tum vt sua seueritate obseruatores suos attentiores & acerbiores sibi compararent, facile enim iudicem condemnamus, si eodem de crimine nos ab eo iugulatos esse senserimus. Lenitas

nitas crudelitati opponitur, vtrumq; coniungit seueritas, medium vt à Scholasticis ob participationem extremorum: virtus porrò in medio consistit, & à malignitate extremorum tanquam in centrum detruditur. Non est seueritatis crimen pertimescendum in puniendis sceleratis & impijs: malè collocatum est beneficium parcere flagitiosis vel liberrime dicam grande est scelus, igitur animaduersorem esse in flagitio, seuerum in sceleratos virtutis est, qui seuerus in patrata non est, is innocentiam contemnit, innocentes prodit, sceleratis patrocinatur: magnus horror seuerus iudex sontibus, sed maior voluptas innocentibus idem: Neq; pecunia nõ frugi hominibus dãda, nec sceleratis misericordia præstanda, flagitiosi etenim vix morte à flagitijs cohibẽtur. Nõ itaq; Tuis põderatis virtutibus animiq; præclarissimis dotibus, sed nostra considerata felicitate quam nobis attulit & est allatura, tua hæc dignitas atq; amplitudo, hoc postremo tempore, cum fortuna melior Rempublicã expectat, exultamus. Iam Gallia toties quasi per periodos Platonicas ad sydera vsq; inclaruerat: iam Italia vni-

 uerso

uerso orbi imperabat, iam Germania, cæteras nationes laude bellica superauerat, iam Hungaria multorum regnorum erat domina, finesque suos Padu vsq; terminabat, iam Hispania summorum quorumuis imperiorum adæquauit gloriã: magnum imperium Turcicum nondum labefactatum est: iam Persia, iam Græcia, iam Macedonia, sed cur infinitas enumerabo? ipsa Moscouia ad quam potentiam se se asseruerat? denique omnia regna summam gloriam iam sunt consequuta, ordo tangit nostram dulcissimam Patriã, cuius augmenti initium, prope modum in ipsis est foribus. Quæres vnde ista? Memini illius qui seriò rebus contemplatis, semper eandem geri tragædiam in mundo mutatis tantum modò personis sensit. Et reuolue illud bellum quod inter Pyrrhum & Romanos gliscebat, immuta mare Adriaticum in Balticum, Tarentum in Elbingam, immuta cætera ad rem pertinentia, modum belli per similem fortunamq; reperies eandem vsque ad inducias in sexenium cùm Romanis factas, cuius reliquum præmeditandum est, ne tanquam nihil suspicantes excipiat nos. Esto ad gloriam reipub.

reipub. id futurum, tamen & ad bonam fortuna se præparare nõ Romanorum exemplum docet, sed necessitas præcipit, vt cogitemus benè ante quid nos facere oporteat, nam quemadmodum facilè corruit, qui ante pedes ipsos quo figat pedẽ non considerauit; eodem modo facilè errat, qui facienda benè ante non fuerit meditatus. Pyrrhus iterum veniens à Romanis superatus est, ijsq; occasionem dilatandi sui imperij dedit, gloriæq; qua omnes nationes populosque superauerunt: et Reipub. idem est sperandum. ô felicem illam, si eo dignitatis est peruentura, est tamen inprimis videndum, ne imparati excipiamus fortunam, multos ad quos veniebat fortuna præterijt, quia eos ineptos offendit: fata prouidere solent rebus publicis, viros magnos tum, cum fortunam clariorem imminere deprehenderint vt ijs ductoribus Reipub: fortuna in offenso pede decurrat. Cõcordiæ autem præcipuè habenda ratio, animorum verò dissensiones in idem velle & nolle reducendę, vt sit reipub. charitas; maxima obstacula, charitatis semouenda esse, quis non existimat? pessima est res non discordiam, sed etiam occasiones

ones discordiæ non prohibere, Patres patriæ tales viri vocabantur apud antiquos, qui discordes animos populi reconciliauerunt, vel si reconciliari non poterant, ansas simultatum sustulerunt. Athenis cum inter Demosthenem & Æschinem graues controuersię essent, postea verò suorum sequaciũ tumultus excitarentur, Respublica quid inde esset sperandum præuidens, deliberatione facta, Æschinem ponderatis meritis Demosthenis proscribendum esse decreuit omnes dissensionum occasiones primo quoque tempore præcidendas existimans. Guelphi & Gibellini interitum Mediolanẽsibus attulerunt, à studijs ita denominati: magna incendia semper à paruis extiterunt initijs, graue nonnunquam bellum exortum inter Ducem Austrię, & Confæderatos propter quinque solidos, quia rem à principio parui æstimabant, donec magnam vim, hominum ferro, ciuitatum igni absumptam viderent. Magnã itidem rem præstaret js, qui primus legem de nõ inferendis quæstatum publicum conturbare possunt, persuaserit, etenim illa ad tranquillitatem per quam fuisset vtilis, ne vnus apud alterum suspicio-

spicione laboraret: sunt sacrosanctè iura Maiestatis custodienda; aliena nequaquam inconsulto Senatu recipienda imperia, hoc enim non parũ labefactat statum cuiusque Reipublicę. Ista consuetudo laudabilis apud Gallos. Quid? consuetudo? Lex est necessaria, huius generis quæq; nõ debere inferri, nisi Senatus permiserit, secus pro non illatis censeãtur. Sed forte apud Christianissimum hoc? etiam & apud Catholicissimum huiusmodi quæq; non admittuntur, sed abijciuntur à Magno consilio: approbante factum Couarruuia, viro grauissimo ac sapientissimo. Non desunt huic inclito Regno magna & sana consilia vbi vniuersæ reipub. facies residet, vbi de necessitatibus concluditur publicis, ibi licebit quidquid visum fuerit, fieri. Sed quid vltra differo, cum lætandum potius & in mutuis congratulationibus dies consumendi, dum Te ingredi videmus, quẽ & tempora concupierunt, & locus ipse desiderabat. Tibi Illustriss: Domine sunt delata ea quæ cæteri prætermiserũt, vt nimirum charitatis (quę non æmulatur, non agit perperam, non contendit præesse) claustra, non turbarum facias: nemo proba-

Pract: q. li: vnico c. 35 n. 4. Et de rest. 2. partis, § 9. n. 7.

probari debet, qui ſuorum rectè factorum ſuperiori ſuo reddere rationem reformidat, fortitudo diuina virtus eſt, quæ cum rectè factis infunditur mentibus humanis hæc ſi à Deo inſpirata non eſt, certe & reliquum non erit abſque fuco. Te Deus rebus decidendis præpoſuit, Te his tēporibus aſſignauit, Te Reipub: elegit, Te Senatui cooptauit, Te his vniuerſis difficultatibus pręparauit. O felices nos, ô Rempub: felicem, vbi aut Philoſophi regnant, aut qui regunt philoſophātur. Deum omnis boni optimi datorē, laudātes, glorificantes, precabimur atq; precamur, Te vt incolumem ſeruet, Tibi vires in laboribus ſuppeditet, animū in difficultatibus augeat, gratiamq́; quam præſtas & præſtabis reipub: referat, quam tu nobis, eandem Tibi DEVS & inclitæ Tuæ domui rependet.



Hist. Polon
c. Miscell

